



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ
Præcones**

Stengel, Georg

Ingolstadt, 1645

Capvt IX. Non posse ab hominibus Deum aquis punientem accusari, cùm
aquis ipsi & alios, & se ipsos plectant.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52365](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52365)

suæ testimonium à miraculis petere, caueant sibi ipsis pœnam statuere, quæ dilata, facit nocentiores, illata misericordiam nõ meretur. Itaq; si existimant, se exempla habere Sanctorum, non aliter eos, quàm equum asinus, in fabulis, imitantur. Vnà iter faciebant equus & asinus, ille sale, iste spõgijs onustus. Procubuit in vadoso flumine equus, & sale liquefacto, se feliciter exoneravit. Quod ubi asinus vidit, procubuit & ipse; sed, spongijs aqua repletis, onus longè maius ferre coactus est; sensitq; vel hinc se asinum esse, vt qui non sciuerit eadem, alijs aliter dispositis, non eodem modo succedere.

C A P V T IX.

Non posse ab hominibus Deum aquis pumentem accusari, cum aquis ipsi & alios, & se ipsos plectant.

§. I.

Aquas esse iustitia & misericordia diuina instrumentum.

I laudabilis est iustitia, laudè meretur etiam iustitiæ instrumenta. At verò, teste Pythagoræo Theag. & inter Deos magnam vim habet, & inter homi-

Theag. lib. de virtute.

homines iustitia. Totius enim atq; uniuersitum inter hos, tum inter illos, cõmunionem hac virtus continet. Ac Themis quidem, apud superos: Dice autem, apud inferos: Lex verò inter homines, nuncupatur. Huius ergo virtutis, siue cum vitia & virtutes inter se discernuntur, siue cum homines pròbi defendèdi improbiq; plectendi sunt, instrumentum aptissimum esse, docuimus, aquas. His mundi Moderator oues suas reficit, quarum vna ait:

Psal. 22. *Super aquam refectiois educavit me.* his hœdos suos plectit, vnde ait: *Effundam, quasi aquam, iram meam.* Vtrumq; assiduè considerat sponsa Christi. Quare oculi eius, sicut columba super riuulos aquarum, quæ lacte sunt lota, & resident iuxta fluentia plenissima. Videt in aquis faciem sponsi sui resplendentem, & vno quidem oculo iustitiam, altero autem misericordiam eius intuetur. Quo intuitu incalescens exclamat: *Confitebor tibi in directione cordis: in eo, quòd didici iudicia iustitiæ tuæ.* Ast alia vox, alius clamor est coruorum, quàm columbarum. Retrahent volūt columbas à pijs suspirijs ac laudibus & transdere in execrationes, cum intelligunt aliquid sibi incommodi ab aquis nasci. Nimirum impunè vellent peccare: &

dum

dum DEVM identidem creaturis offendūt,
nollent ipsi offendi à creaturis.

§. II.

*Homines aquâ punientes, & aquis puniri in-
dignantur, quàm iniquè Deum tractent.*

Quàm iniqua hæc sint vota, indignæq;
cogitationes, vel à se ipsis discant. Emen-
dant, puniunt, occidunt homines homi-
nem aquis ad vitam sustentandam creatis;
& indignantur, quando rerum omniū Con-
ditor, aquis vtitur ad hominum scelera ab-
luenda? Vt homines hominem exitiabilem
morte multent, in mare proijciunt; vt e-
mendent, projecturos se minantur; & Deo
idem facere sit nefas? id cùm faciunt, lau-
dari volunt; cùm DEVS facit, criminantur?
Optimus est vsus aquarum, quando ijs ho-
minum corpora curantur; & pessimus sit,
quando illis hominum scelera castigantur?
Intolerabilis amentia est, quando mortales
sibi plus licere volunt, quàm DEO. An enim
non volunt sibi id licere? Certè voluerunt,
qui dixerunt: *Quæsumus, Domine, ne perea-* Ion. i. 14.
mus in anima viri istius, & ne des super nos san-
guinem innocentem: quia tu, Domine, sicut vo-
luisti, fecisti. Et tulerunt Ionam, & miserun-
in mare. Affinis huic historix est fabula A-
P 4 rionis,

rionis, quam Poëtæ atque historici eleganter narrauerunt, declarantes scilicet, quæ ratione, homo in hominem etiam innocentem aquis sæuiat; DEVS autem innocentiam defendat. Ea verò fabula, super fidicine Arione *celeri admodum & cohibili oratione, vocumq; filo tereti & candido*, ut Gellius ait, scripta est ab Herodoto.

A. Gellius. lib. 16. c. 19.

§. III.

Arionis in mare iactati fabula.

Vetus, inquit, & nobilis Arion cantator fidibus fuit. Is loco & oppido Methymneus, terra atq; insulâ omni Lesbios fuit. Eum Arionem rex Corinthi Periander amicum amatumq; habuit, artis gratiâ. Is inde a rege proficiscitur, terras inclytas, Siciliam atq; Italiam visere. Ubi ea venit, auresq; omnium, mentesque, in utriusq; terra urbibus, demulsi. In quaestibus istis & voluptatibus amoribusque hominum fuit. Is tum postea grandi pecunia, & re bonâ multâ copiosus, Corinthum instituit redire. Nauem igitur & nautas, ut notiores amicioresq; Corinthios sibi delegit. Sed eo Corinthios, homine accepto, nauisq; in altum prouectâ, prada, pecunias cupidos cepisse consiliû de necando Arione. Tum illum ibi pernicie intellectâ, pecuniam ceteraq; sua, ut haberent, dedisse: vitam, modo sibi parcere.

parcerent, orauisse. Nautas precum eius harum
 commiseritum esse illatenus, ut ei necem infer-
 re per vim, suis manibus temperarent: sed im-
 perauisse, ut iam statim coram desiliret praeceps
 in mare. Homo, inquit, ibi territus, spe omni vita
 perditâ, id unum postea orauit, ut prius, quam
 mortem oppeteret, induere permitterent sua sibi
 indumenta, & fides capere, & canere carmen
 casus illius sui consolabile. Feros & immanes na-
 uitas prolubium tum audiendi subit. Quod ora-
 uerat, impetrat. Atq; ibi mox de more cinctus,
 amictus, ornatus, stansq; in summa puppis foro,
 carmen, quod orthium dicitur, voce sublatissi-
 mâ cantauit. Ad postrema cantus, cum fidibus
 ornatuq; omni, sicut stabat canebatque, eiecit
 sese procul in profundum. Nauta handquaquã
 dubitantes quin perisset, cursum quem facere
 ceperant, tenuerunt. Sed nouum, & mirum,
 & pium facinus contigit. Delphinum repente,
 inter undas, ad nauis, & dorso super fluctus e-
 dito vectauisse; incolumiq; eum corpore & or-
 natu, Tanarum, in terram Laconicam, deue-
 xisse. Tum Arionem prorsus ex eo loco Corin-
 thum petiuisse: talémq; Periandro regi, qualis
 Delphino vectus fuerat, sese obtulisse: eiq; rem,
 sicuti acciderat, narrauisse. Regem isthac pa-
 rum credidisse, Arionem, quasi falleret, custo-

234 Cap. IX. Aquis in poenam uti Deum,
 diri iussisse. Nautas requisitos, ablegato Arione,
 dissimulanter interrogasse, ecquid audissent in
 ijs locis, unde venissent, super Arionem? Eos di-
 xisse, hominem, cum inde irent, in terrâ Italiâ
 fuisse, eumq; illic bene agitare, & studijs delecta-
 tionibusq; urbium florere, atq; in gratiâ pecu-
 niâq; magnâ fortunatum esse. Tum, inter hac
 eorum verba, Arionem cum fidibus & indu-
 mentis, cum quibus se in saluta eiaculauerat,
 extitisse. Nautas stupefactos convictosq; ire
 inficias non quisse. Eam fabulam dicere Lesbios
 & Corinthios: atque esse fabula argumentum,
 quod simulacra duo aenea, ad Tanarum, vi-
 serentur, Delphinus vehens & homo insidens.

§. IV.

*Avaritia se ipsam punientis speculum, in ip-
 qui Arionem in fluctus eiecerunt.*

- Val. Max.** Protrahatur hic in medium avaritia later-
lib. 9. c. 4 tium indagatrix lucrorum, manifeste preda-
 avidissima vorago, nec habendi fructu felix, &
Cic. in cupiditate quarendi miserrima. Nimirum, nul-
orat. pro lum est officium tam sanctum, ut rectè Tullius
Quintio. dixit, atq; solenne, quod non avaritia commi-
Idem in nuere, atque violare soleat. Et: Nemo tam
Vatiniū. firmum habuit presidium, quod avaritia non
Sallust. in infregerit atq; debilitauerit. Itaque, quia, ut
Catil. Sallustius ait, avaritia fidens, probitatem, ce-
 terasq;

ter aſq; bonas artes ſubuertit; multi ſeruorum,
 domi; comitum, in via; nautarum, in mari,
 perfidi fiunt. Denique, Seneca teſte, *in nullū*
auarus bonus eſt, in ſe peſſimus. Hinc Corin-
 thij iſti Arioni necem machinati ſunt, ſibi
 impetrauerunt; illum in pelagus, ſe in ne-
 fariae machinationis ſupplicium conijcien-
 tes. Plus enim ſibi iſtis nocent, qui in alios
 ſunt iniuſti: quia magis hos conſcientia cur-
 ciat, quàm illos damnum. *Iudex expectatur,*
 ait S. Baſilius, *& auarus cogitat, ne in ius tra-*
hatur; ne orphanus ſuas lachrymas in foro pa-
lam faciat. Nocte conſultat, quomodo manè
quosdam aduocatos ſibi praparet; quomodo, in
judicio, mentiendo, deſtitutum opprimat. Eius
animam haec cura continuo mordaces abſumunt.
Canis latrat, auarus putat furem eſſe. Mus
forte perſtrepit, & auari cor ſalit, quemlibet
vel puerum ſuſpectum habens: Filios iam gran-
des, ut inſidiatores aſpicit, quòd eorum iam a-
tas ſucceſſionem expetere videatur. Exemplū
 eſt in Arione non tam auaro, quàm opulen-
 to; qui pauper ſecurus fuiſſet, diuitijs inſi-
 dias allexit. Et auari nauæ feliciter appuli-
 ſent, ſi innocentiùs nauigaeſſent. Nunc eua-
 ſit è fluctibus Arion, & merſi ſunt, qui mer-
 gere voluerunt.

Seneca
 ep. 108a

S. Baſil.
 hom. 21a

§. V.

Aquis, per vim aut dolum interfecti.

Pausan.
in Phocic.
Herodot. l. 4.
Ioseph. lib. 15.
Antiq. cap. 3.

Publicè notum est de alijs, simili casu, dissimili euentu præcipitatis. Terat piscatum Palamedes, sed domum non rediuit; quippe ab Vlysse atque Diomede in aquis demersus. Quin & à proprio parente Etearcho, rege Cretensium, suasu nouercæ, Phronime puella in vndas proiecta est. Refert Iosephus, Aristobulum Iudæorū Pontificem, Herodis regis dolo, in piscina, natātem, per ludi jocique simulationem, submersum esse. Vsq; adeò tyrānis ludus atq; jocus est, occidere. Rem ipsam accipe. Herodes rex, cū Aristobulum Pontificem, quia de genere erat regio, & populo gratus, è medio tollere cuperet, post prandium, comiter pertracto in opportunum locum adolescente; ostendebat se paratum in eius gratiam iuueniliter colludere. Cūq; loci eius natura esset æstuosior, citò defessi, relicto ludo, magnis piscinis, quæ ibi circa aulam erant, imminentes, frigus captabant, meridiano tēpore. Ac primū spectabant natantes quosdam è socijs & famulis. Deinde postquam, pro-uocante Herode, adolescens quoque eis semiscuit; quidam amicorum, quibus hoc datum

datum erat negotium, deprimentes eum, natantem, & quasi per lusum ac petulantiam mergentes, non prius destiterunt, quam omnino aqua præfocatus sit. Hic fuit Aristobuli exitus, anno ætatis decimo octavo, pontificatus primo. Sic calidus juvenis aquis æstum temperavit, ut frigidum cadaver reportaretur. Et quidem hoc isti balneum ab Herode fuit præparatum. Sunt plures, qui lautè occubuerunt. Nam, Zonara teste, Romanus Argypopolus Imp. cum ex hydrope convaluisset, natatorium ingressus, ut corpus laueret, Zoës uxoris & Michaëlis Paphlagonis adulteri dolo, à quibusdam subornatis itidem capite sub aqua merso, oppressus, & pænè suffocatus, semianimis in stratum reclinatus est. Inde per os, subnigra euomens, nemine opem ferente, animam egit, cum annos imperasset quinque, & menses senos. Adeò non homines solùm, sed tota etiam imperia aquis immergere possunt, humanæ, an potiùs inhumanæ manus. Clodomirus profectò Francorum rex, Gundebaldo, Burgundia rege, superato, Sigismundum eius filium, vnà cum sorore, in puteum inclementissime demersit. Et Statyra, Plutarchi Darij

in Ale-
xand,

Darij filia, M. Alexandri vxor, Roxanam, quam Alexander quoque thori participem esse voluerat, prægnantem itidem, in puteum afflixit; solo ducta liuore, quò Macedones præcipuis honoribus eam cumularent. Innumeri sunt virorum feminarumque casus & exitia, ab ipsis eorum parentibus, filijs, maritis, aut vxoribus procurata. Quibus in medium allatis, agite Momi, *iudicio secundum juris formam conuenite; is cuius ea de re notio est, estimabit*, dicetque: Vos aquis utimini, ad libidinem, ad æmulationem, ad crudelitatem vestram explendam; DEVS, qui aquas condidit, aquas iustitiæ vindices esse non iubebit?

§. VI.

Varia femina, quæ, præ insania, vel alios, vel se ipsas aquis peremerunt.

Enimverò iubebit, tantòque æquius iubebit, quia de cælo prospiciens videt, homines, ipsis aquis, aquas & flammam promereri. Quæ enim, malum, amentia est, homines, aquas in salutem datas, sibi in exitium conuertere? & cum aliorum manus defunt, propriæ vitæ carnifices fieri, seque ipsos, desperatissima corporis iactura, in vndis suffocare? Nam prorsus ex-

trema

trema est dementia, non expectare mortē,
sed occupare. Qua de causa vel Poëtæ
cecinerunt, eos prius in furorem actos, qui
se ipsos in mare præcipites egerunt. Hinc Pausani-
as in At-
ticis.
Ilice Ibyci Lydij filia, in furorem, à Marte
contempto, versa è scopulo sese fingitur
misisse. Hinc Athamas Thebarum rex, fu-
rijs agitatus, dum Learchum filium morti
dedit, vxor quoq; eius Ino Cadmi & Her-
miones filia, dolore amens, cum altero fi-
lio Melicerta, de Moluride petra, in Me-
garensium finibus, sese in falsos fluctus
sparsit. Sappho puella ex Lesbo insula, è
Leucade Epiri promontorio se jecit, quòd
à Phaone mutuò non redamaretur. Anna Ouid:l.4.
Factor.
Beli regis filia, post mortem sororis suæ Di-
donis, Carthaginem ab Iarba occupatam
relinquens, ad Battum Melitæ insulæ regem
nauigauit. Quo demum relicto, mare in-
gressa, ad Laurentum litus delata est; ibi-
que ab Ænea cognita & hospitio suscepta,
non sine mutui cum eo amoris suspicione,
adeò vt in odium Lauiniæ veniret. Cuius
insidias vt declinaret, se ipsam in Numycū
fluum præcipitem dedit. Iturna quoq;
Dauni filia, post interfectum ab Aenea
Turnum fratrem, mœroris impatiens, in
aquas

Parthen.
in Erot.
cap. 27.
Strabo
li. 16.

aquas & mortem in filij. Alcinoë, vxor Polybi Corinthij, Xanthum Samium, relicto marito, secuta, pœnitentiâq; cerita, in mari, se viam sepelijt. Quin & Derceto, Semiramidis mater, cùm filiam ex adulterio conceptam in desertis exposuisset, tandem facti & sceleris pœnitentiâ mentis impositus, in lacu furorem & vitam extinxit.

§. VII.

Viri quoque luctu insanientes, qui se aquis suffocauerunt.

Fœminarum facilè delirantium, & extrema tentantium ista esse, aliquis dicet. Viri etiam à sensibus abeuntes fecere. Euenus Martis & Steropæ filius, ex Alcippe Oenomai filia, Marpissam susceperat filiam. Quam ab Aphareo, in chorea, raptam, quia comprehendere nequibat, in Lycorram Ætolia fluuium pronus ijt, vt citò, ac compediaria via, veniret ad Charontem. Refert idem, qui modò narratam necem, Plutarchus, Theseo in Cretam, ad Minotaurum interficiendum, nauiganti, Ægeum patrem eius, Athenarum regem præcepisse, vt, si, confecto monstro, incolumis rediret, ad lætitiæ argumentum, candidi vteretur velis; vt prospectantibus è portu amicis

Plutarch.
in Theseo.

amicis, superstitis vitæ fidem præstaret.
Theseum tamen cepit obliuio mandati.
Quapropter, cum atris iisdem, quibus abi-
erat, remigraret velis, pater de filio despe-
rans ex alto in mare se deturbauit, & a-
quis à se imposuit nomen, vnde mare Æ-
gæum nuncupatur. Complexus est rem-
eleganti carmine Catullus, cuius versus
huc apponere placet.

*Ipse autem caca mentem caligine Theseus
Constitus, obliuio dimisit pectore cuncta,
Quæ mandata prius constanti mente te-
nebat :*

Catull.
de Nu-
ptiis Pe-
lei & Tho-
tidos.

*Dulcia nec masto sustollens signa parenti,
Sospitem, & ereptum se ostendit visere portū.
Namque ferunt, olim classi cum mœnia
Diua*

*Linqueret, & gnatum ventis concrederet
Ægeus,*

*Talia complexum iuueni mandata dedisse.
Gnate, mihi longâ jucundior vnice vitâ,
Gnate, ego quem in dubios cogor dimit-
tere casus,*

*Reddite in extrema nuper mihi sine se-
necta,*

*Quandoquidem fortuna mea, ac tua fer-
nida virtus*

Q Eripit

Eripit inuito mihi te, cui languida non-
dum

Lumina sunt gnati carâ saturata figurâ.

Non ego te gaudens latanti pectore mittâ,

Nec te ferre sinam fortuna signa secunde:

Sed primùm multas expromam menti
querelas,

Canitiem terrâ, atque in faso pulveri
fœdans:

Inde infecta vago suspendam lintea malo,

Nostros ut luctus, nostraq; incendia menti

Carbasus obscurâ dicat ferrugine Ibera.

Quod tibi si sancti concesserit incola Itoni,

Qua nostrum genus, ac sedes defendere
fretis

Annuat, ut tauri respergas sanguine dex-
tram:

Tum verò facito, ut memori tibi condita
corde

Hæc vigeant mandata, nec vlla obliteret
etas:

Ut, simul ac nostros innisent lumina colles,

Funeſtam antemna deponant undiq; ve-
stem,

Candidâque intorti ſuſtollant vela ruden-
tes,

Quam primùm cernens, ut latâ gaudis
mente
Agn.

Agnoscam, cum te reducem fors prospera
sistet.

Hec mandata prius constanti mente te-
nentem

Thesea, cœu pulsa ventorum flamine nubes
Aërium niubi montis liquere cacumen.

At pater, ut summâ prospectum ex arce
petebat,

Anxia in assiduos absumens lumina fletus,

Cum primum inflati conspexit lintea veli,

Præcipitem sese scopulorum è vertice jecit:

Amissum credens inimiti Thesea fato.

Sic funesta domus ingressus tecta, paternâ

Morte ferox Theseus, qualem Minoidi
luctum

Obtulerat mente immemori, talem ipse
recepit.

§. VIII.

Alij viri aquis, sua sponte, bauisti

Quòd si hæc, tanquam à Poëtis narrata, in
fabulis habentur, extant certiora. Nam
Anius rex Thuscorum, quia filiam Saliam
à Catheo adolescente raptam non potuit
comprehendere, teste Plutarcho, in fluuium
se furiosa mente egit; quem à suo nomine
fecit appellari *Anienem*; ut mortis infamia,
quamvis aquis inscripta, æternùm perse-
ueraret.

ueraret. Andragathius quoq; classis præfectus, qui Gratianum Imp. perfide sustulit, Maximo tyranno, à Theodosio, victo, ex desperatione, in fluuium se præcipitem dedit, malens natare, quàm pendere. Laurentius Laurentianus Florentinus medicus, sanus simul & infans, citra vllum corporis incommodum, citràque euidentem morbi causam, pro haustu minimè medico, in puteum se coniecit, auctore Cælio, & Crinito: qui ait, se auditorem eius aliquando fuisse. Maluit tamen in Lycæum, quàm in puteum sequi: non enim sitiebat. Tali etiã morte se extinxit Petrus Leonius Astrologus excellens; si tamen ea in arte aliquis potest excellere, quæ alijs mentitur, sed neminem magis fallit, quàm scientem; immò pernicioso ignorantia genere, scire se putantem. Nec vetera repetere est opus. Mea ætate, tot memini, desperatione actos, sponte, in fluuios, & puteos cecidisse, ex omni hominum genere, vt pigeat numerũ inire. Nec familiarum aut consanguineorum honor me finit nomina eorum loqui, qui exemplum essent maximè luculentum.

§. IX.

Superbi cuiusdam & luxu diffluentis Clerici miserabilis interitus.

Vnius tamen non possum, vel sine nomine, mentionem omittere, qui, me puero, in ciuitate Imperiali celeberrima, cum & clericus esset, & dignitate Ecclesiastica maximè emineret, tamen absque habitu & tonsura, solebat quotidie, per augustiores vrbis plateas, & ante ædes maximatum, tanquam aliquis Curtius Romanus, Remp. communi exitio liberaturus, magnificè obequitare, & omnium in se oculos pariter & digitos, & linguas conuertere. Sanguis illi e præcipua nobilitate: de cetero plures opes, quàm virtutes; & minor vitæ fama, quàm officij authoritas. Hinc obuio honorè omnes pileis magis, quàm animis, exhibebant, etiam de via cedentes. Transgresso, & iam tergum obuertenti, hæretici quidem palàm exserta lingua, medium vnguem ostendere, atque ciconia illudere amabant; pueri autem, vt gestum triumphantis imitarentur, brachijs vtrinque in latera ridiculè reflexis, & ipsi Thraſonicè ansati incedebant. Equus phaleris, eques inauratis calcaribus superbus, videbantur de gloriâ certare, Asturco poterat ille videri, ita tolutim badizabat, non Catonis, sed Pompei manu defrietus. Sed magis e-

ques ipse aspicientium in se oculos rapiebat, quàm caballus. Cæsariem calamistratam contractior galerus premebat magis, quàm tegebat; nec vnquam in medio vertice visus est stare: sed sinistro semper lateri incubens de cincinno pendere putabatur. In galero pluma identidem, ad omnes equi passus, subsultans, quàm sanè petulanter volitabat: quæ, si gemina fuisset, senio eques factus Mercurius poterat credi. Veste tota splendidus, & non rarò, psittaci instar, multicolor, aulæ se profitebatur affeclam; non Ecclesiæ columnam. Officij statum in eius incessu, nemo agnouisset, nisi nomen, quo ipso tumebat, eum prodidisset. Quacunque ibat, non bonus Christi, sed vnguentorum exoticorum odor auras & plateas muliebriter inficiebat. Nam hoc ipso malè olebat, quòd homo Germanus pastillos Indicos, aut gynæcéum oleret. Deniq; omnia in illo apparebant pulchra, præter faciem, in qua omni cupræ verucæ cutim asperabant, & gemmæ lucebant non admodum pretiosæ. Siquidem vultus illi erat, qui potuisset, more piscium desquamari, scilicet vino ardens; & oculi, sine fletu, stillantes, quales solent esse lambrum:

arum: vt mirarentur omnes, in tam de-
forme caput intrare posse superbam cogi-
tationem. Quanquam cum fastu, etiam
dementia fuit coniuncta, qua putauit ani-
mi foeditatem, corporis ornatu, posse vel
tegi, vel compensari. Hic igitur mundi pu-
pillus, populi stupor, puerorum simul risus
fuit, & hæreticorum, dum viueret; sed illu-
stre documentum vanitatis, dum morere-
tur. Diu ita sese vrbi maximæ ostētauerat.
Sed non respondebant pectoris penetralia
ijs, quæ foris apparuerunt. Oculorum
iudicio, poterat haberi, pro vase volupta-
tibus differto, aut thesauro deliciarum; in-
tus tamē curæ, tumultus, desperatio, & ma-
la extrema coquebantur. Et, videte, vani-
tatum amatores, in quem mundi pompa
finem desinat. Hic tantus inter pocula vi-
ctor, in plateis ouator; iste tam nobilis
Messapus, tamq; insignis equum domitor,
tandem aliquando, ad pristinam consuetu-
dinem, equo gloriose circumuectus, an-
gulum ciuitatis extremum petijt, ibique
ante præcipui viri, amplissimum hortum,
equum foribus alligauit, & pro potestate,
ac more, velut animi gratia, hortum solus
ingressus, remotisque omnibus arbitris,

ocreatus, gladius, chlamydati, in profundissimum puteum desperatissimè se deiecit; atque, ut casus faciem cœlaret, in caput iuit; ibi extinctus, unde breuior esset via ad Acherontem. Vbi utique eum Cerberus, tanquam nouum & peregrinum hospitem, sollenniùs allatrauit; nempe, *Clericum gladiatum*, & quem Æaco multa peculiaria facinora commendarent, que postea, de submerso, in mensis, circulis, & foro passim cantabantur. Postquam enim equus eius portæ innodatus, totam expectandi patientiam consumpsit; & nunc hinniendo, nunc calcibus terram pulsando, vel herum, vel stabulum pabulumque diu poposcit, & nox redeundi tempus indicauit, quæsitus, per omnem hortum, dominus, nusquam repertus est. Fuit igitur, qui suaderet, in terris non inuentum, indagandum in aquis. Accensa in puteum demittitur lucerna, nec ibi quidquam conspicitur, nisi ocrea calcaribus auro fulgentibus vincta. Hoc vestigium fuit equitis inueniendi. Cùm ocrea pes, cum pede totum cadauer extractum, ense accinctum, chlamyde velatum. Quasi cum cadauere licentia loquendi è puteo prodijisset; ita illicò, quod

quod quisque de illo vitium sciebat, liberè
vbique prodebat, omnes mortem vita,
dignam dicebant. Quippe hunc fuisse, qui
in ganeis sapius, quam in templis sit ver-
satus; in cuius manu assidue poculum, nun-
quam Breuiarium sit visum; è cuius ore ni-
hil nisi vomitus; &, quod foedius est, nisi
Veneres & meretrices prodierint; à quo
parentes filias, mariti vxores abscondere,
atque custodire debuerint: deniq;, qui tot
flagitia fecerit, & nunquam conspectus sit
ea sacerdoti confiteri; quæ tamen, in vino,
jactare, &, tanquam rem bene gestam, glo-
riantè prædicare non veritus sit: homo
indoctus, superbia inflatus, & omnis com-
monitionis impatiens. Nimirum hæc Dei
esse iudicia, aiebãt, vt, qui toti ciuitati fue-
rit scandalum, idem etiam toti ciuitati fie-
ret exemplum; atque ab huius exitio sa-
pere discerent, qui, si ab Ecclesia, pecunias,
& pingues census accipiant; si omnibus se
anteferant; si fulgeant in tunicis, si sint
in poculis fortes, nomini se suo, officioque
satisfacere arbitrantur; plusque sibi licere
existimant, quàm qui vel in aulis profanis-
simorum Principũ, aut in castris audacissi-
morum militum vitam agitant, sine lege,

Q 5 sine

350 Cap. IX. *Aquis in pœnam uti Deum,*
sine mente. Deniq; aquis, dicebant, meritò
diluendum fuisse guttur, per quod priùs
tot vini dolia fluxissent. Tali lesso exequiæ
fuerunt illius cohonestatæ, qui mendosif-
simis moribus infamis lethi coronidem ad-
jecit. Ita qui omnia sacra rident, in interitu
& ipsi ridentur: ut ne tum quidem etiam,
cum flere deberent, sine risu sint, sed alieno.

§. X.

Extrema desperantium dementia cauenda.

Hi sunt, qui, ut desperatè viuunt, ita
& desperatè moriuntur. Nempe quia eun-
dem mortis magistrum admittunt, quem
vitæ habuerunt. Utinam Chrysofomum
audirent, cuius hæc sunt: *Aduersus despe-*
rantes ait Dominus: An non surget, qui ce-
cidit? an qui auertit, non conuertetur? Et
rursus: Nolo mortem peccatoris, sed ut con-
uertatur, & uiuat. Et: Hodie si vocem eius
audieritis, &c. Et quòd letitia sit in calis, cum
peccator pœnitentiam agit. Multaq; huius-
modi & documenta, & exempla in Scriptura
inueniuntur. Ne autem religionis nomine per-
damur, illud Pauli dicendum iterum atque
tenendum est: Ne nimio dolore, inquit, absor-
beamur. Diaboli enim artificio, dolor pro
peccatis debitus, fit dolor nimius & immo-
deratus,

S. Chry-
sost. hom.
37. in
Matth.

deratus, non iam ad pœnitentiam ducens, sed trahens ad desperationem, quæ est vltimum omnium scelerum complementum.

Quantus enim furor est, ne moriari, mori? Et morte quidem duplici vnus mortis redimere timorem? *Anima prestantis prorsus,* ait Antiochus, *ac generosa peculiaris conditio ea est, vt quantecunq; tandem inundent, calamitatum procellæ, nullo vnquam pacto sinat à se auelli spei solida anchoram.* Ob hoc enim hominis vita *πειρασίων* dicitur; *tentationum, seu Piratarum domicilium.* At nos, ne sic quidem à Domino deficiamus, quousque tentatorem iubeat semotius à nobis secedere, & per intolerantiam atque immobilem animi rigorem, vitæ restituamur tranquilliori. Quod enim peccati genus vsquam inueniatur atrocius desperatione? *Iudas ille Domini proditor,* quam pusilli erat & abiecti animi? *quàm rudis & expers conflictus temptationum?* Ob hoc enim spem omnem à se cum abiecisset, insiliente in eum inimico, funiculo sibi prefocauit gulam. At Petrus, solida illa petra, non in peccatum impedit? nec mediocre? Verùm is, tanquam, qui tales conflictus doctrinæ experientia didicisset, ob maleloquam negationem, spem nentiquam abiecit: sed lachrymas adhibuit
paca-

pacarias, apud Dominum, & conciliatrices.
 Huius igitur imitatione, ad aquas lachry-
 marum confugiamus, non infiliamus in
 Barathrum desperationis.

§. XI.

*Deo longè decentius convenire, ut aquis ple-
 ctat reos, quam hominibus.*

Quanquam mihi nunc non est animus,
 vel Caios, vel Carios agitare, aut de eri-
 gendis illis in spem, disputare. Illud osten-
 do, hominum peruersa ingenia, aquas in
 vtilitatem maximam à mundi Conditore
 datas, in suam ipsorum perniciem conuer-
 tere, & se ipsos aquis plectere; cur ergo in-
 dignantur, si id erga illos faciat DEVS, qui
 illos plectendi jus habet, ac potestatem? Illi
 id, cum scelere faciunt, DEVS cum laude.

**Athenz-
 us lib. 10.**

Cleomenes Methymnæorum tyrannus le-
 nas, in sacco ligatas, submergi curabat, &
 laudabatur. Tot lenas, & lenones, & leno-
 cinantes alit terra, & non plectat aqua, ju-
 dice DEO? à quo *parata sunt derisoribus ju-
 dicia.*

Prou. 19.

29.

**Sueton.
 in Aug.**

Augustus Cæsar pædagogum mini-
 strósque Caij filij, per occasionem vale-
 tudinis, mortis que eius, superbè auarè que,
 in prouincia, grassantes, oneratos graui
 pondere, ceruicibus, præcipitavit in flu-
 men.

men. Quod factum inter gloriæ illius de-
cora numerabatur. Et hæsitabimus, truti-
næque nostra dignum censebimus, si quem,
permittente DEO, aquis haustum audia-
mus? Quis præscribet, ut ignibus potius,
aut ferro utatur, si quem, per aquas vult
ad se euocare? aut in fluuio, non in rogo
punire? Siquidem *judicium à Domino egre-* *Prou. 29.*
ditur singulorum. Quod si agnoscerent aquis *26.*
lasi, non essent musca illa insipientiores,
impatientesque, quæ in carniæ ol'iam
decidit, & moriens dixit: *Ego tantum bibi,*
& comedi, & laui, et hunc satura exitum fer-
re haud molestè debeam. Cordati est, id quod
neesse est, ferre, & boni consulere.

§. XII.

Serui, aquarum metu, in mendacio,
deprehensi fabula.

Alia fabella est lepida, &, ad mores polien-
dos huic loco admodum idonea, de domi-
no ac seruo, vnà iter faciētibus. Ibi seruus,
ut sibi, apud herum, locum nomēque fa-
ceret, multa admodum jactanter menda-
citerque narravit, vidisse se, cum varias
terras peragraret. Occurrit equitantibus,
transuersâ viâ, fugiens vulpes: qua conspe-
cta, *Magna erat hæc vulpes, ait Dominus.*

Cui

Cui mox seruus: *Hoc nihil est*, dixit. Ego vidi vulpem boui magnitudine parem. Intellexit facile Dominus, non vulpem, sed mendacium serui posse cum boue æquiparari. Sed se pressit, & velut admiratione obticuit. Silentium seruo, pro admirationis iudicio, & plausu, fuit. Quia autem dies paullo prius coeperat, conuertit se Dominus ad matutinas preces, & à DEO iterum prosperum precabatur, idq; ita voce clara, ut seruus omnia syllabatim audiret. Inter ceteras formulas adjecit, petere se, ut, eo die præcipue, sese à verbo mendacij custodiret; tunc enim satis à periculo fluminis iri se custoditum. Aduertit ea vox, & precandi ratio seruum; qui non potuit, quin auidissima curiositate interrogaret Dominum, quid sibi id genus comprecandi voluisset? Visus est initio tergiuersari herus, & inuitus ad eam quæstionem respondere. Sed urgente magis magisque famulo, tandem, quasi ingens arcanum detecturus, cum alto suspirio, dixit: *Flumen est nobis transeundum hodie, in quo omnes merguntur, quotquot, eo die, mendacium fecerunt.* Oppalluit ad hoc dictum seruus, & mendacij recentissimè conscientiam ictus visus est tremere.

mere. Pergunt ire, atque non diu post ad
rium ambo perueniunt, vado transeun-
dum. Ibi iam in ripa equitantem herum,
subsequens seruus rogat, vt subsistere paul-
lisper velit. Ex subsistente scitatur. *Hicne
sit ille fluius, mentientium interfectoꝝ? nolle
se tenere vadum, cum, in vulpe comparanda,
putet, aliquantulum a se erratum esse; neque
enim eam boni, sed iuueno duntaxat parem
fuisse.* De vulpe parum curo, ait Dominus.
Ceterum non hic est riuus, de quo dix-
eram, alius occurret, nihil tibi, hoc loco
metue. Hæc fatus calcaria admouit equo,
& vadum, seruo tergum eius premente,
superavit. Paullò post ventum est ad alium
amnem, quo viso, seruus cœpit denuò
trepidare, & quærere, *Hicne autem flu-
uius mendaciloquos morte plectere soleret?*
Cumque herus responderet, neque istum
quidẽ esse; addidit seruus, se valentem caus-
sam habere tam sollicitæ interrogationis:
nam haud satis ampliùs meminisse narra-
tæ vulpis magnitudinem; existimare se nec
iuueno quidem parem extitisse, sed vitulo
lactente non fuisse maiorem. Salua res. in-
trant & exeunt, etiam ex hoc vado. Sed ad
tertium tandem fluuium accedunt. ad cuius
cùm

cùm præripia venisset: *Hic tandem est illi veritatis defensor, & mendaciorum punitor fluvius*, ait Dominus. Ad quæ verba attonitus seruus, panè ex equo lapsus est. Verùm ubi se virèsq; collegit, veniam à Domino præcatus, negavit se transiturum, eò quòd mendacij, eo die, à se conflati conscius esset: *Nam vulpem à se alibi conspectam, reliquis communibus vulpibus fuisse magnitudine omninò parem.* Hoc audito, *Et hæc quoque aqua*, inquit Dominus, *est alijs communibus aquis par, neq; solet mendaces mergere.* Ita mendacem, aquarum minitacione, curavit, & ad veritatem promendam reduxit.

§. XIII.

Antonini persecutio, aquarum inundatione, & alijs cladibus punita.

Potuerunt tantum fictæ aquarum minæ? quid non poterunt veræ pœnæ, à DEO, per aquas inflictæ? Nam qui inflictas audit, metuit infligendas. Metuere autem initium est emendationis. Cuius rei exemplum multiplex legimus, in quarta Ecclesiæ & Christianorum persecutione, sub Antonino (non enim sub Marco Aurelio) contigisse. Antoninus enim non satis habuit, proposita capitis pœna, vetuisse, ne quis

Sibyl.

Sibyllarum versus legeret, aliósq̄ue propheticos Gentilium libros, qui multa de Christo prædixisse videbantur, adeò vt è Gentilibus non pauci Christiani fierent, vt Iustinus testatur; sed Christianos præterea, quàm plurimos, Crescentis hæretici instigatione, morti addixit; & quidem anthropophagiæ priùs, aliorúmque horribilium Gnosticis familiarium criminum, per impudentissimam calumniam, accusatos. Quàm grauius eiusmodi atrocitate offenderetur vindex malorum DEVS, edocuit, non solùm Tiberis inundatione, sed alijs quoque varijs ærumnis, quas immisit; fame; circi ruina; terræ motu complures Rhodiorum, & Asiæ vrbes subuertente; trecentis & quadraginta insulis, aut domibus, Romæ combustis; Narbonensi ciuitate concremata, atque alijs calamitatibus vrbi & orbi inuectis. Quibus ita omnes conterriti sunt, & ipse adeò Imperator commotus est, vt expresso Rescripto, ad eundem 15. Imperij annum, quo hæc euenerunt, dato, persecutioni finem imponere coactus sit. Ita aquarum, ignium, terræque incommodis, sapientissimus mundi Moderator peccantes multat & emendat;

Iustin.
Apolog.
ad Antonin.
Euseb. An.
153. Baron. An.
150.

Iulius
Capitolin.
in Antonino.

Vide Euseb. li. 4. hist. c. 12.

R de

Amos. 5. de ipsis malis bonus. *Qui vocat aquas maris, & effundit eas super faciem terra. Dominus nomen est eius.*

CAPVT X.

Deum, ut aquarum terrarumque Dominum, potestatem, iustitiam, providentiamque suam ostendere, miserando Emmanuelis Sosa naufragio, & seculi marisq; similitudine declaratur.

§. I.

Absolutissimum Dei in omnes res dominium.



Voniam autem Dominus nomen est eius, habet & hinc causam aquis habenas stringendi, vel laxandi, ut dominium suum manifestet. Si enim dominium est jus gubernandi vel disponendi de re aliqua, tanquam sua, seu sibi subiecta, itaque deivincta, ut possit de ea, non ex commissione alterius, sed propria auctoritate, sine cuiusquam injuria, disporre; profecto, cum DEVS sit Dominus universorum, nullam injuriam faciet ulli, per maria, nauiganti, si ventos immittat non à tergo spirantes; sed procellis & tempe-

Leonard.
Lect. de
Iust. ca. 3.
dub. 1.